cum eâ quæ nunc placet mihi cautione contendemus.
De Partibus intermediis non sum sollicitus. Sufficiet Bas
sum subscribas Italorum more, quo, ni fallor, de
autorum mente constare cuivis abundè potest.
Vale Vir amice atque ama me. Hagæ Com:
X. Cal: Febr: CIↃIↃCXL.

Tuus.
C. H:

Memineris rogo, cum rescriptorum
tuorum authenticæ quæque exemplaria
in Galliam misero, nonnihil me eorundem
exemplis instruendum esse, per otium
quidem amanuensi tui, cujus tibi in
his rebus industriam tantum non invideo.
Perpetuò mihi Mersennus instat, ut vel
opus tuum, vel promissum ejus compendium
urget. quid respondebo?

Bannio.

Amplissime Banni. /298/

Tantam mihi occupationum impendere nubem præ-
video versus Lunæ et Martis diem, quos mihi desti-
nasse videris, ut monere te invitus cogar, ne istius
itineris molestiam frustrà adeas. De reliquâ septi-
manâ, ut nihil statuere possim, cum ut nosti,
planè non sim αὐτεξούσιος, aliquanto plus otij mihi
tibique et Musis polliceor ideo. Te autem valere
jubeo, cæteris omnibus in congressum dilatis. Scribo
raptim. Hagæ Com: 2. Febr: CIↃIↃCXLI.

Tuus.
C. H:

Graswinkelio. /299/.

In Catilinam tuum, Vir Nobilissime, stupendæ lectio-
nis et judicii opus, has mihi versiculos expressit
Trucis compunctio Veri. Testor te et amicitiam
nostram, non eo consilio, ut ineptiis meis frontem
libri dehonestes. sed privatim tibi ut constet, quanti
et virtutes tuas faciam, et infinitam eruditionem.
Staeckmannum quoque, quia sic jussisti, pro modulo
parentari. Rogo ut cognomini tamen, quod mihi
excidit, præscribas, et interpellantem boni consulas
quia.
13. Febr. 1641.

Tuum.
C. H:

Bannio.

Amplissime Domine /300/.

Fecere primum occupationes meæ, quas nunquam vanas
pretexo, nox vehemens Catarrhus, qui per aurem
lævam